

12  
SECTIO SPECIALIS.

QVÆSTIO PRIMA.

**Q**uæritur: *An delectationes ex rebus hujus mundi ortæ, talia sint adiaphora, qualia modo descripsimus, & per consequens à Christiano, salva conscientia, usurpari vel omitti possint?*

§. I. Priusquam ad hanc quæstionem suppeditamus responsum, necessaria quædam præmittenda erunt. Observandum enim, quod vox *delectationis* consideretur (1) vel *objectivè & causaliter*, pro illo, quod movet & excitat delectationem in nobis, ut mulier Prophetæ Ezech. & templum Judæorum, delectamentum oculorum vocantur Ezech. xxiv. 16. 21. vel (2) *formaliter & propriè* pro ipsa delectatione, quæ ex suavi objecto in corde nostro persentiscitur, sic possumus carne vesci ad delectationem animæ, Deut. XII. 15. Conf. Sap. VII. 2. Cum ergo quæritur de delectatione; ultro patet, quod non de illa sed de hac in præsentem nobis sit sermo. Deinde notandum, quod etiam vox *mundus* non omni careat ambiguitate, varias enim ex Scripturæ usu habet significationes. Nos, quantum ad præsentem statum attinet, expendimus, quod vel sumatur pro ipsa structura hujus universi, nempe pro cælo & terra, omniq; eo, quicquid in illo est: Quo sensu legitur Act. XVII. 24. *Vi hujus significationis res mundanæ erunt, quæ in mundo existunt, sive sint naturales (quibus opponuntur supernaturales) sive artificiales; sive substantiales sive accidentales. Vel accipitur pro hominibus impiis ac malitiosis in mundo habitantibus, ut vox legitur Joh. XV. 19. Plures significationes videri poterunt apud Flacium in Clavi Scripturæ Sacræ P. I. p. 706. 707. seq. Secundum hanc significationem res mundanæ erunt actiones peccaminosæ atq; malitiosæ, quibus homines hujus sæculi sunt immerfi atq; sepulti, conf. 1. Joh. II. 15. Nolite diligere mundum, neq; ea que in mundo sunt, nam si quis diligit mundum, non est dilectio Patris in eo.* Ergo per se patet, quod nobis non sit sermo de poste-